Gregorius Magnus: Homiliae in Ezechielem; Epistulae
Mainz, 2. Viertel bis 2. Hälfte 11. Jh. 





in uia; Quidam enim ex eis de longe uenerunt; Triduo turba
dominum sustinet. quando multitudo fidelium peccata que per
petrant. per penitentiam declinans. ad dominum se in opere. in
locutione. atque in cogitatione conuertit. Quos dimittere ie
iunos in domum suam dominus non uult. ne deficiant in uia. quia ui
delicet conuersi peccatores. in presentis uite uia deficiunt.
si in sua conscientia sine doctrine sancte pabulo dimittantur;
Neque ergo lassentur huius peregrinationis itinere. pascendi sunt
sacra admonitione; Valde autem pensanda est pia sententia:
que processit ex ore ueritatis. qua dicitur; Quidam autem ex eis de
longe uenerunt; Est autem qui nil fraudis. et nil carnalis corrup
tionis expertus. ad omnipotentis dei seruitium festinauit; Iste de lon
ginquo non uenit. quia per incorruptionem et innocentiam proxi
mus fuit; Alius nulla inpudicitia. nullis flagitiis inquinatus.
solo autem coniugio expertus. ad ministerium spiritale conuersus est.
neque iste uenit e longinquo. quia usus coniunctione concessa.
per inlicita non errauit; Alii uero post carnis flagitia. alii post
falsa testimonia. alii post facta furta. alii post inlatas
uiolentias. alii post perpetrata homicidia. ad penitentiam redeunt.
atque ad omnipotentis dei seruitium conuertuntur; Hi uidelicet ad dominum
de longinquo ueniunt; Quanto etenim quisque plus in prauo
opere errauit. tanto ab omnipotente domino longius recessit; Nam
et profugus filius patrem deseruit. abiit in regionem longinquam.
in qua porcos pauit. quia uitia nutriuit; Dentur igitur alimenta
eis etiam qui de longinquo ueniunt. quia conuersis peccatoribus.
doctrine sancte cibi prebendi sunt. ut in dominum uires reparent.

Nota Triduum.
opus.
locutio.
Cogitatio.

Nota Quis de propinquo
ueniret.

Quis de longinquo.

Exemplum.

© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscpatr69/0375